

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

niti arbitrantur, paulatim refrigescunt, & tanquam adverso flumine lembum subigentes, brachia remittunt. In his rebus quid animi mihi sit, facile intelligis: ideoque me, nostramque Ecclesiam & Scholam precibus tuis commendo. Pro disputatione tua mihi transmissa, reverenter gratias tibi ago, & judico te laborem Ecclesiae utilem & necessarium praestitisse, teque hortor, ut pergas prodesse Ecclesiae. Apologiam Concordiae avidissime expecto. Bene in DOMINO vale: & tum reliquis Dn. Collegis tuis, tum fratri etiam Ulrico, salut. ex me reverenter dicitur. D. Parienti & Schoppero gratulor novos honores. Perscript. Argentor. 13. Septembr. 1582.

Tuus in DOMINO frater

Joh. Pappus, D.

LIV.

Salutem in Salvatore Christo, Reverende & clarissime Domine Doctor, Domine, amice & frater honorande.

Promotionem candidatorum vestrorum tanta fuisse solennitate celebratam, libenter intellexi, Deumque precor, ut incrementa vestris laboribus subinde addat. Nos ad operas Scholasticas nondum rediimus, propter luen *in id quod*, speramus tamen, Scholae ad Cal. Januarii restitui posse. Ego DOMINO volente sub initium Decembris quaedam extra ordinem proponam, periculum facturus, quid de Schola sperare possimus. De Heshusio quae scripsisti, magno me affecerunt mœrore, atque utinam conventus Erfordianus huic novo malo medeatur. Scripsit eadem de re ad me quaedam Doct. Gerlachius; sed quia pluribus communicata, facile ad Adversarios etiam dimanare possent, ne Pastoribus quidem adhuc ista significanda putavi; hortatus tamen sum eos, quia in comitiis de isthoc negotio actum nihil sit, ideoque aliquid videatur subesse *ὄρασις*, ut tantò ardentius DOMINUM invoent.

Miscellanea Zanchi doluimus quidem edita esse, sed tamen non inviti occasionem dari nobis animadvertimus, & Ecclesiae nostrae admonendae, & gratitudinis nostrae erga Dn. Parentem declarandae. Itaque Dn. Pastores, qui antehac historiam vitae Dn. Parentis edi in isthoc tempore noluerunt, ne novas lites ferere videremur, jam non modò ad eam perficiendam me adhortati sunt, sed Confessionem quoque de Prædestinatione & Cena DOMINI, una cum refutatione præcipuorum Zanchi argumentorum Historiae addi à me vo-

O o o o

lunt.


Iunt. Ipsi suo nomine Præfationem scribent, qua Zanchi præcipuè perfidiam in istis divulgandis, Ecclesiæ manifestam faciant. Totus itaque nunc sum in isto labore. quantum quidem sinunt occupationes publicæ: tu me & precibus, & consilio iuvabis, & significabis, si quid in ipsis Miscellaneis aut Historia notasti, accipiam grata mente.

Fratri quod tam diligenter adfuiisti, video me tibi plurimum obligatum esse. Pecunia, quam debet, ultra nundinas istas Natalitias proximas non aberit, quod te & Provisorem Collegii non arbitror molestè laturos. Utinam mei, ad quos ea de re diligentissimè scripsi, D. Matrem vestram in vendendo vel constituendo prædio iuvare possent, ut his laboribus liberata & molestiis, ad nos rediret. Benè in DOMINO vale, reverende & chariss. frater, Argentor. 23. Octobr. 1582.

R. D. T.

frater in DOMINO

Joh. Pappus, D.



LV.

S. D. Reverende & clarissime Domine Doct̃or.

Litteras tuas, Cal. Septembris datas, ex patria domum reversus accepi, in quibus per jucunda mihi *exornationis* tuæ & constantis erga me benevolentis significatio fuit. Academiam vestram florentissimam peste affligi doleo. Apud nos quoque, ut in tota vicinia, huius contagia serpunt; sed cum atrociter nondum grassentur, nec quenquam ex Academia hæcenus corripuerint, operas scholasticas usitato more facimus. Inter Polonum & Suecum reges ad fines, de exuviis Livoniæ, Moschico tyranno extortæ, ut inter Ætolos & Curetes olim de pelle apti, quem simul ceperant, intestinum bellum inflammatum iri apparet, cui nunc legationibus & scriptis inter se mutuo acerbis veluti præludunt. Polonus enim Nervam & cætera Livoniæ loca superiori anno à Suecis occupata, sibi tradi flagitat. Sueci ne pedem quidem eedere cogitant. Mitto epistolam ex Lithuania ad me superioribus mensibus scriptam, & vicissim de vestra ecclesiæ & reipublicæ ac vicinæ statu à te doceri cupio. Benè vale. Rostochii, 20. Novembris, Anno 1582.

David Chytræus.

LVI.